


Anno ætatis 18. currente fuit directio gradus horoscopi in termino Martis, quo tempore incidit in difficilem morbum, qui & ingenium & corporis vires mirificè afflixit & debilitavit.

Anno ætatis currente 20. pertigit gradus horoscopi ad oppositū Mercurij, omiſſa eius latitudine, quo tempore propter morbum patris, & tandem obitum eius, impedita & interrupta sunt studia nati. Nam Mercurius in radice est dominus quartę domus, quę signiſicat patrem, Cumq; hæc directio sub termino Martis adhuc vigeret, parum abſuit quin à fratre globo è bombardâ etiãculato casu, interficeretur, Ac paulo post rusticus quidam ferè sagittam in eum conieciſſet, incendiarium ratus. Laboravit etiã circa illud tempus epatis dolore.

Anno ætatis currente 21. venit directio horoscopi ad corpus Lunæ, adhibita latitudine eius, quo tempore incidit in colicam lætalem ex esu crudorum fructuum, qua laboravit amplius 4. menses, Et postea anno sequente 22. ex potu frigidæ iterum in colicam, priore longè vehementiorem, incidit, eoque malo fere per 5. menses est conflictatus, ubi ad hanc directionem quoq; accessit directio horoscopi ad terminum Saturni.

Possem referre plures casus annorum sequentium, qui exactè responderent suis directionibus, nisi vereretur ne nimium excreſceret hæc commemoratio.

Infra tamen directiones omnium ſignificatorum ad ſuos promiſſores ordine ponemus, ex quibus ratio ſingulorum accidentium, tam præteritorum quàm futurorum, bonorum & malorum, plenius deſumi poterit. Nunc hoc loco ſatis eſto nos aliquot duntaxat casus nati recensuiſſe, cum ex illis ſatis certò cõſtet de vero puncto Ascendentis, quem hic in ſequenti figura cœleſti vna cum deſcriptione reliquarum domorum proponimus.



Latitudines planetarum ad tempus genituræ propoſitæ.

	G	M		G	M		
Saturnus	1.	34.	Septen: Deſcen:	Jupiter	0.	22.	Septen: Ascend:
Mars	2.	19.	Merid: Ascend:	Venus	0.	27.	Merid: Deſcen:
Mercurius	3.	10.	Merid: Deſcen:	Luna	3.	52.	Merid: Deſcen:
							aa 3 Hæc